





3 9042.

Za 3266

Jo. BENEDICTI CARPOVI  
AD  
NOBILISSIMUM ET CLARISSIMUM VIRUM  
**JACOBUM BORNİUM**  
EPISTOLA,  
QUA  
DE OBITU PARENTIS  
VIRI MAGNIFICI ICTI ET ANTE-  
CESSORIS  
EUM SOLATUR.

LITERIS BAUERIANIS.

3



**A**Tque utinam ipse jam dudum ex hac  
 Vita discessissem, quæ non nisi cum  
 Lacrymis amatur, & ærumnarum ac in-  
 felicitatis plurimum, parum gaudii,  
 parum Lætitiae & amœnitatis confert.  
 Recrudescit Orbitatis vulnus ante triennium fere  
 inflictum mihi, quando hodie Tuò Parente orbaris,  
 Amice, ut Tibi communis mecum fortuna sit. Quo  
 carior Tu mihi, eo acerbior etiam hic Obitus, cuius  
 me intestinus dolor adeo cruciat, ut, qui Te consola-  
 ri cupio, consolationem petere propemodum abs Te  
 audeam, quem à quo animo ferre video hæc fata, &  
 gratulari quasi Pàrenti ex mortalitate ad Immortaliti-  
 tem, ex terrestri tugurio ad Palatium cœlestè, ex du-  
 bia peregrinatione ad æternam Patriam, ex turbu-  
 lenta Vita ad Pacificam, ex tenebris ad lucem tradu-  
 eto. O Te felicem, qui liberati Vitæ vinculis tot  
 Tempestatib⁹, naufragiis, incendiis, ruinis obnoxia⁹,  
 non invides beatitudini, & amplissimis præmiis, qui-  
 bus jam in Cœlesti Hierosolyma coronatur, postquā  
 heic DEO gratus abunde sibi gloriam paravit. Lo-  
 qvuntur id Principes multi & Magnates, qui Viri Il-  
 lustris solertiam & legum scientiam, & circa suas jus-  
 siones fidem ex multis rerum argumentis accepere.  
Loqvun-

9049

Loqvuntur non patisci, qui ad Juris Civilis studia animum applicantes hanc Antecessoris quondam sui disciplinam cognovere, jam in summo honorum ac dignitatum fastigio constituti. Loqvuntur innumeri, qui ad scientiam Juris consultorum configere, in quorum Collegio ipse magno omnium honorum adplausu Consultoribus respondit Arbiter æquitatis. Loqvuntur plurimi, quos Prudentia, Legibus, Judicio, Consiliis defendit contra callidos Legulejorum astus: præfertim pauperes omni & auxilio & ope destituti, quibus cum gaudio adfuit. Vniverla loqvitur Patria, cuj⁹ si mœrorem noluisset, nunquam debuisset nasci, nec mori unquam, si perenne Reipublicæ voluisset decus & Commodum. Tanta in eo erat Sapientia, & peritia rerum omnium, tanta Virtus ut summo, quem istis sibi conciliauerat, honori summam modestiam jungeret, fidelis erga Majores, erga inferiores humanus, Candidus erga æquales, nemini durus, nemini morosus. Tantum igitur Virum præter spem amisum lamentamur merito omnes, de nostris ipsi annis concedere parati, si vitam redire integrum, nec in Sanctissimam animam suo Cœlo, unde venerat, repositam, injurium foret. At Tu spes magna & solarium es, Vir Nobilissime, in quo Paterna Virtus & Eruditio tanquam in Speculo resulget. Quæres non mediocrem etiam Tibi Consolationem adferat. Nihil in vita quidem, unde majora percipere nos commoda solemus, quam a Paren-

Parentibus, quibus orbati simul omni vide-  
 mur Bono, & Præsidio, & Patrocinio, quod aliunde  
 postea querendum nobis est. Et frustra læpius, dum  
 meritorum Parentum oblivicuntur, qui bene de fi-  
 liis mereri possunt. Quanquam vero non ex illorū;  
 sed nostri amore hic proficitur dolor, quādo sumi-  
 mo insuper Fato fata Mortalium disponenti diffidi-  
 mus; Tamen, in eo me longe felicior, Eruditione  
 Tua, & Virtute, præficitur hoc nunc dixerim, in Te  
 omnium, Maximorum, minimorum oculos atq; a-  
 nimos dudum convertis, qui tibi uno ore favent &  
 applaudunt. Non Te profecto exigua manent; sed  
 illustris splendor, & gloria singularis, & quicquid de-  
 niq; defertur iis, qui divinæ animorum suorum præ-  
 stantiae non ignari rectæ fiducia Conscientiae atque  
 Morum & Vitæ Sanctitate integros se præstant  
 DEO. Meæ vero hæc maxima felicitatis pars est,  
 quod de Favore mihi Tuo & Benevolentia gratulari  
 possum. Te dies memoro, Te noætes somnio, nec  
 preces unquam ad Immortalem DEUM fundo,  
 quin Tuam salutem flagitem & incolumentem. I-  
 dem hunc Tuum & Nobilissimæ familie dolorem  
 leniat, atque vos omnes sartos teætos, & ab omni in-  
 commodo, detrimento, molestia sinceros con-  
 servet. Vale. d. VII. Idus Sextilis,  
 A.S.R. M DC LX:





Jo. BENEDICTI  
 AD  
 NOBILISSIMUM ET CL.  
**JACOBUM**  
 EPISTOLAM  
 QUAM  
 DE OBITU  
 VIRI MAGNIFICI  
 CESSO  
 EUM SOLUS  
 LITERIS BAU

